

KL. 241. 15

Zb  
876  
12.

ILLUSTRI AC MAGNIFIC  
V I R O,

D N. LUCAE  
SCHRECKIO,

MED. DOCT. SACRAE CÆSAREÆ

Majestatis Archiatro , Ejusque Personæ Imperialis  
Medico Splendidissimo , S. R. I. Nobili , Aulæ Cæsareæ Palatii  
Lateranensis & Consistorii Imperialis Comiti , Cæsareæ Leopoldini  
Academia Naturæ Curiosorum Præsidi Gravissimo ,  
Liberæ Imperialis Civitatis Augustanæ Phyllico  
Celeberrimo ,

Patrono & Fautori suo nunquam satis colendo ,  
suspiciendo , Cooptationem in Illustre Collegium & Societatem modis  
laudata Academia Diplomate solenni cum imposto Symbolo  
Nominis

ALEXIAE  
OBSIGNANTI.


decentes persolvit Grates ,

Pertextaque operum Paternorum Historiâ novam  
corum Editionem significat

MICHAEL ERNESTUS ETTMULLERUS ,  
Philos. & Medic. D. hujusque in Academia Lipsiensi Prof.  
Publ. Extraordinarius .

K. 240.





33



## VIR ILLUSTRIS ET MAGNIFICE, Patrone maximopere colende.

**T**ardius quam ut decuerit, aut pietas postulaverit, hæ ad Te transmittuntur lineaæ. Postquam enim sub anni præterlapsi terminum summi Tui in me Favoris per litteras certiorum me reddere, in Illustrem naturæ Curiosorum Societatem cooptare, & Alexia nomine indignum ornare non fueras designatus, fas piumque omnino fuisset, sine cunctatione promptissimum ad grates persolvendas animum contestari. Quemadmodum autem publicè Te alloqui, ea, quæ Tibi me obstrictum sentio observantia, & quæ nunc sub manibus servet operum Paternorum Editio nova, urserunt; ita moram hanc benigne Te excusaturum, præsentesque benevolis excepturum fore oculis insignis Tua, quæ in vulgus nota est Humanitas penitus confidere juber.

Ante omnia igitur Tibi, Vir Illustris, pro summo hoc Tuò in me affectu, maximas, quas mente concipere possum, grates ago, habeoque atque universam insimul illustrem Academiam officiosissimè saluto, ex animo optans, ut laudatissimi, quos omnes atque singuli suscipiunt labores, ulterius in sui Gloriam & in Artis salutaris pariter ac scientiæ Naturalis emolumentum atque ornamentum vergere clementissimum jubeat Numen. Quantum in me erit, in id enitar anxie, ut meum impleturus officium omne studium, curamque omnem, quoad vitam, sanitatem & vires concedet Altissimus, in evolvendo & cruento locupletissimo aturæ Thesauro ponam.

Posthæc quoniam in operibus paternis denuo edendis occupatus jam sum, eorum Historiam texere integrum duxi, & hac quidem occasione commodissime id fieri posse credidi, quod in Ephemeridibus, quibus pertexendis splendidissima Academia Leopoldina, cui me

nunc adscribere Tibi placuit, suam locat operam, ante aliquot annos eorum mentionem factam fuisse noverim.

In primo vero statim limine abjici, & à scopo meo averti me posse video, quod Librorum sat magna copia officinas premat, nec adeò ardua sit necessitas, Librum, cuius Author ante viginti jam annos in viuis esse desit, & qui in omnibus ferè versatur manibus, denuo prælo subjecere. Ita equidem est, si unquam, nostro certè ævo, verum evadit, quod suo jam tempore Regum omnium sapientissimus Salomon effatus est: *Plures condendi Libros nullum esse finem, quo scilicet*

*- Tenet insatiabile multos*

*Scribendi Cacoëthes & agro in corde senescit.*

Veteres enim si consulamus, Mercurium Trismegistum sex millia librorum, quingentos viginti quinque scripsisse perhibet Jamblichus de Mysteriis Ægypti. Hippocratis scripta, sat multa sedulis etiamnum Medicorum volvuntur manibus; Hunc secutus Galenus Libros scriptis penè infinitos, quos ipse commemorat peculiari libro de Libris propriis scripto. Theophrastus Paracelsus trecenta reliquit volumina, quorum Catalogum recitat Laërtius in ipsius vita. Ut alios mittam vel Medicos vel Philosophos, vel cuique disciplinæ addictes, quorum opera in edendis ejusmodi eruditis foetibus multa est observata, de Chrysantho Sardiano resertur ab Eunapio in ejus vita, quod tantum Librorum exaraverit, ut extremi digitorum articuli ob juge scribendi exercitium incurvescerent intorti. Nostro nunc ævo, quo nulla Literatorum est inopia, eo major accrescit librorum numerus, quo magis illi pro Eruditis haberi posse desperant, nisi schedis nomen suum orbi literato commendent, & quo facilior, Typographiæ beneficio Scriptorum nunc est divulgatio. Quod si tamen accuratori animi lance scripta ponderemus, non unum atque idem de omnibus libris ferendum esse judicium patescat. Alii enim, qui typis aliquid exscribunt, atque publicant, novum quid communicare delectantur; alii, quod ab aliis hinc inde scriptum proditumque fuit, conferunt, nihilque de suis addunt, talesque hic conscribillaturiendi pruritus usque adeò vexat, ut ex quinque, quos antea ediderunt, libris sextum consarcinare non vereantur. Alii plano tersoque rem prosequantur

stile

stylo, alii vel prolixo nimis scribendi genere tedium Lectori pariunt, vel Laconico delectati sermone in brevitate obscuritatem querunt, vel verbis utuntur minus usitatis, ita ut quid sibi velit Scriptum, nisi ab Authore ab aliis vix intelligatur. Alii proximo prodesse & se literatum monumentis à mortalitate vindicare allaborant; alii vero non tam famae quam fami scribere videntur. Eleganter hac de re sub Sempronii Gracchi Maffiliensis larva latens *Manitzius* in *Medico hujus seculi lib. I. sect. 2. pag. 100.* Tanta se offert, inquiens, librorum multitudo, ut quem è tot Scriptoribus eligas, sèpe nescias. Alii pomposo & splendido titulo tyronem allicitur, ut intus contenta nuga bitem posita facilius moveant; hujusmodi librorum titulis præponere soleo illud: Titule, quod fatum Te huic libello adsignavit? Alii temperato titulo & modesta de se pollicitatione tyronem ab Lectione terrent; alii neccar quoddam in voculis, sèfamoque & papavere sparsis dictionibus tyroni grata sunt, sed horum suavitas in primo quasi lingua examine evanescit, aut si aurium judicium audias, vocem Te Luscina audivisse dixeris, prætereaque nihil; Alii quos inuidia fecit obscuros, concatenata rerum serie, & coacervatis in unum materiarum diversitatibus enigmata proponunt, ut nisi centies lectionem repeatas, vix eorum intelligas mentem; Alii crambem milles recoclam dapibus seu delicias apponunt, & qua multi ex variis Authoribus colegerunt, absque judicio, absque ordine revomunt, ne præ multa, quam ex his aliorum collectaneis sibi imaginantur, scientia disrumpant ipsis ilia. De aliquibus illud Strabonis judicium Ctesiae scriptis attributum est verissimum: Evidem, ait, facilius quis Hesiodo, Homero, aliisque fidem adhibuerit, itemque Tragicis Poëtis, quam Ctesiae & similibus. Sub quo Librorum discrimine mirum non est, non eadem omnes experiri fata. Sunt enim, qui vix officinis illati ab eruditis coemuntur manibus, ita ut si curiosis Literatorum satisfieri debat animis, altera tertiae vice imprimantur iident, necesse sit; sunt vicissim, qui in officinis situm contrahunt, hinc doctis operibus ne locum præripiant, seplasiariis pro pipere involvendo venduntur. Exemplis rem illustrare, quemadmodum non admodum arduum, periculoso tamen plenum est negotium; vel enim blanditiarum culpæ, vel odio se exponet talia probaturus. Certum interim est, dum

§ 6

Scribimus indocti doctrique poëmata pasim,

selectum maximè habendum esse emendorum, legendorumque Librorum, siquidem, *Plutarcho de Liberorum Educatione* rectissimè monente: ὅργανον τῆς παιδείας οὐ πῦσις, ἀλλ' ἡ χρηστική τῶν βιβλίων εἰσι. Non possessio Librum, sed sedula corundem usurpatio atque voluntatio doctrina instrumentum est; & juxta *Quintilianum lib. 10. cap. I.* optimis advescendum est, & multa magis quam multorum lectione formanda mens. Absit tamen, ut juxta Salomonis edictum omnem Libros elaborandi conatum interdicendum, & Socratem sequendum esse creditur, qui interrogantibus, cur nihil librorum ederet, respondisse fertur: ὅργον, τὰ χαρτία πολὺ τῶν γεωφυσομένων τιμιώτερα, quia videret chartas multo esse pretiosiores, quam quæ scribenda forent. Actum profectò eset cum omni doctrinæ genere, & quodlibet noviter inventum cum suo Authore interiret. Non enim fuit, non erit ullum tam felix ingenium, quod omnia à se ipso, velut aranea è suo utriculo fila educat. Ut *Drexelii in Aurifodina Part. I. cap. 7.* utar verbis.

Ad quam verò Scriptorum classem opera paterna sint referenda, judicabis, Vir Illustris, ex eis, quæ his hactenus obtigerunt fata, atque meam, quam in eis denuò edendis operam colloco, approbabis; quā fretus spe ad illorum Historiam pertexendam Authorisque vitam breviter recensendam me nunc accingo.

Michaël Ettmullerus lucem hanc mortalem adspicere primum cœpit sub Tiliis Anno à nato Salvatore MDCXLIV. Patre, Michaële Ettmullero, Cive & Mercatore apud Lipsienses, Matre Clara Maulia. Mox optimorum Parentum ductu & auspiciis vineæ Christi insitus, & quamprimum ferebat ætas, Musis, quarum amore maximopere ferri videbatur, initatus curâ domestica, sub moderamine Viri Clarissimi M. Tobiae Wachsmuthii à decimo usque ad decimum sextum ætatis annum in Literis usque adeò profecit, ut Musas Gratiis cum maritasset, primam ab incluto Philosophorum ordine Laurum die XI. Junii, Anni MDCLX, retulerit. In vicinam tum concessit Leucoream, vita studiorumque Rectorem naëtus M. Johannem Wolfgangum Rentschium, sub quo & L. Aegidio Strauchio, Polyhistore ac Theologo summo, in Mathematicis probe se exercuit, id.

¶ 70

id, quod in studio Medico magno sibi fuisse emolumento, in vitæ curriculo propriâ manu conscripto testatur. Post tredecim mensium decursum patriæ redditus fuit, postquam ante abitum à se elaboratam de Maculis & Faculis solaribus Disputationem sub commemorati M. Rentschii præsidio defenderat. Cœptis tum institit fervendissimus, reportatoque Anno M. DC LXII. supremo Philosophiæ brabio cum cæteris ejus five speciebus five partibus, tum Mathematicæ imprimis ac Scholaisticae doctrinæ aliquantis per vaçavit, quanquam operæ Scholaisticis impensa non semel ipsum poenituerit, eo quod gemmarum parum, vel plane nihil in barbaris illorum simetis reperiisset, quod suprà citatum M. Stum abunde loquitur. Inde habita adhuc codem anno de Conjunctionibus magnis disputatione, quam Præses tuitus est, totum se Divæ Hygeæ devovit, ad quam à primis incunabulis genio quodam duci videbatur, cuius Sacris cum anno sequente per Baccalaureatum Medicum ritè esset initiatus, sub umbone D. Godofredi Welschii PP. de Singularibus disputavit. Maximopere tum sibi gratulabatur, ansam se naçtum esse D. Johannis Michaëlis apud Exteros decantatissimi Chymici latera frequentius cingendi, ab ipsius ore dependendi, Bibliothecam penitus excutiendi, pharmacaque & preparare & dispensare addiscendi. Sed omnem fere tum apud eum proficiendi spem infringebat, atque inhibebat, concatenatissima non minus Viri hujus Experientissimi Praxis, quam fatalis illa Apoplexia, quā in itinere Schlaccoverdano hic fuerat correptus. Propriis igitur conatibus rem gerere coactus optimus Pater Praxin pervestigare cœpit, ita ut à primis Anni M. DCLXV. auspiciis ad festum Paschatos usque doctrinam febrium, ab hoc ad Michaëlis festum affectus capitis, inde ad finem anni usque pectoris ægritudines, tum intra primam sequentis anni quadram affectus abdominis & morbos externos, intra secundam tandem mulierum morbos, atque sic intra unius anni cum dimidio spatium integrum Praxin propria industria penitus exhauserit. Aliorum interim non neglexit Doctorum manuductionem, quin D. Michaëlis Heylandi, D. Sigismundi Ruperti Sultzbergeri, D. Leonhardi Ursini Scholis Medicis lubens interfuerit; si quod interea temporis otium ipsi concedebatur, conscribenda disputationi tempus im-

( 8 )

impedit, quam etiam de Coralliorum Tinctura sub D. Martini Frisi  
Præsidio Anno M.DC.LXV. publicè defendit. Instabat Anno  
M. DC LXVI. aliqua Promotio Doctoralis , ne igitur de suo jure  
concederet, Doctoris gradum pariter assumeret , fuaserunt amici.  
Verum juvenilis ætatis sibi conscientia , utpote vicesimum secundum  
annum nondam transgressus , & ne cruda studia in forum Medicum  
protruderet, cuius per totum vitæ cursum ipsum poenitendum foret,  
cessit ambitioni, firmioribus fundamentis peritiam Medicam su-  
perstructurus. Cui scopo ad Exteros itinera inservitura sperans , Ita-  
liam adire meditabatur, habita prius post rigorosum , quod vocant;  
examen pro Licentia Medica sub Pro-Cancellario D. Paulo Ammano  
de Morsu viperæ disputatione. Itaque Anno M. DC LXVI. mense  
Augusto per Jenam, Bambergam, Noribergam, Augustam Vindeli-  
corum, Monachium, Oenipontum, Brixiam, & Tridentum Venetias  
retendit, quam tamen ditionem, ob grassantem diversis in locis Ger-  
maniae, potissimum Francofurti ad Moenum pestem, ingredi prohi-  
bebatur, per quadraginta dies segregatus propter temporis jacturam,  
cujus maximam nunquam non habebat rationem, detineri abnuens;  
hinc Tridentum reverti cogebatur. Nescio tamen quo stratagema  
usus, aliâ electâ viâ Veronam & Paduam pervenerit, ubi per quinque  
commoratus menses, & Germanicæ Nationis Assessor ac Bibliotheca-  
rius declaratus sectionibus corporum & adfuit & præfuit; hinc ve-  
netias demum adiit, quibus accuratè perlustratis per Ferrariam, Bo-  
noniam, Forum Cornelii, Faventiam, Riminum, Anconam, Laure-  
tum, Spoletum, aliasque urbes Romam commigravit; cui perreptan-  
dæ menses consumisit tres , ita tamen ut Neapolin interea temporis  
excurreret, & ejus quoque admiranda intueretur. Relicta Roma,  
Viterbium, Senas & Florentiam abiit , ubi propter æstuosam Julii  
tempestatem paulò subsistens, Pistoriam, Lucam, Pisam, & Liburnum  
expatiabatur. Inde Bononiam denuo, postque hanc Mutinam, Re-  
gium Lepidi, Parmam, Placentiam, Mediolanum , Ticinum, Derto-  
nam, Genuam, Savonam & Turinum salutavit; superatique Alpibus,  
Lugdunum Gallorum, & mox Lutetiam Parisiorum se contulit ; quæ  
post septem Mensium spatium, Mensce Martio Anno M.DC.LVIII.

per



per Rothomagum Diepam profectus est, unde per Oceanum Germanicum in Angliam vectus post Londonum iustratum Oxonii per septem septimanas commorabatur, ut Anglicæ lingue sibi compararet notitiam, & Bibliothecæ Bodleianæ cimelia evolveret. Londonum dein reversus substitit & hic paulisper, factaque postmodum transfretatione, Belgij Hispanici pariter ac Foederati nobiliores urbes, Rotte odamum, Gertrudenbergam, Bredam, Bergen ob Zom, Antverpiam, Bruxellas, Delphim, Hagam Comitum, Amstelodamum percursavit, hyemem Lugduni Batavorum transactus, nisi à Parentibus domum fuisse revocatus. Instabat enim dies Promotionis Doctoralis, hinc monita secutus paterna, salutatis in via Osnabrugo, Mindia, Hamburgo ac Magdeburgo Lipsiam rediit, alteroque post redditum die Gradum Doctoris, primum inter Candidatos locum obtinens, assumisit. Atque hac ratione amplissimus ipsi aperiebatur campus, in quem excurrere, & animidotes à DEO concessas, multaque industria improboque labore excultas prodere poterat. Decubantium enim valetudini non minus adesse, quam ad studiosæ juventutis, Hygeæ consecratae, utilitatem aliquid conferre, suum, id est, Eruditæ Medicæ esse putavit. Et quoniam indulgentissime tum ei fortuna ad lectum æque ægroti ac in cathedra favebat, maximam sibi brevi famam atque gloriam concrivit. Ne autem illis solum, qui ab ejus dependebant ore, prodesse videretur, quod à negotiis sibi concessum videbat otium in disputationes de selectissimis materiis conscribendas insumpsit. Quemadmodum Anno MDCLXIX. Chirurgiam infusoriam, Anno MDCLXX. Medicinam Hippocratis Chymicam, Anno MDCLXXV. Valetudinarium infantile, Anno MDCLXXXIX. virtutem Opii Diaphoreticam, Anno MDCLXXXI. Præcipitantium verum usum, ferumque abusum Anno MDCLXXXII. Ideam præscribendarum formularum publice explicatum dedit. Ut alias disputationes Academicas, quibus à Respondentibus elaboratis, atque à se revisis & emendatis, ut de dolore Hypochondriaco, spermate Ceti, Balneis Medicis artificialibus, Respirationis humanæ negotio abstruso, malo Hypochondriaco, Epilepsia, parvis magnorum morborum initis, temulentia & corpulentia Præsidem se dedit, nunc non

B

com-

commemorem. Quibus omnibus effecit, ut Medici sat numerosi,  
 qui ex ejus schola prodiuerunt, Principum Aulas, Academias, Ur-  
 beisque varias ac Regiones non modo exornarint; verum etiam  
 Germanos pariter atque Exteros in sui admirationem traxerint.  
 Hinc nec Honores atque virtutis præmia ipsi defuerunt, siquidem  
 Anno MDCLXX. Illustri Naturæ Curiosorum Collegio adscriptus;  
 Anno M. DC LXXXVI. cum D. Macasius nostram relinquet ur-  
 bem, in Facultatem Medicam cooptatus, & Anno M. DC LXXXI.  
 cum D. Hornius è vivis discederet, Botanices Professorem Ordi-  
 narium & Chirurgiae Extraordinarium agere iussus fuit. Cæterum  
 cum consortii maritalis se indigere intelligeret, tori sociam adeptus  
 est Anno M. DC LXXI. Virginem Margaretham, Viri Amplissimi  
 Johannis Ernesti Bosii, Senatoris & Ædilis Lipsiensis filiam natu mino-  
 rem, ex qua filiam adhuc superstitem per DEI gratiam, atque qua-  
 tuor suscepit filios, qui, me si excepteris, vivere desierunt omnes.  
 Restant suprema. Anno M. DC LX X. febris Parentem corripuit  
 cum scorbuto, malo Hypochondriaco, aliisque symptomatibus con-  
 juncta; Et quanquam post trimestre spatium ægrorum lectis ei ad-  
 esse iterum fuerit concessum, radices tamen morbi penitus evelli nul-  
 lo modo potuerunt; quin vires indies magis decrescere persenserit,  
 sudoribus nimis, sicca tussi, & calore depascente valdopere vexatus.  
 Prodidit tandem se morbus complicatus, & subesse non pulmonum  
 tantum vomicam, sed & lienis atque hepatis scirrhum, nec non ob-  
 structionem mesenterii pertinacissimam, haud obscurè licebat con-  
 jecturari. Cum igitur anorexia, præcordiorum anxietates & re-  
 spirandi difficultates dictos affectus comitarentur, Hæctica Febre la-  
 borare eum, certo satis constabat. Lecto demum affixus est sub anni  
 MDCLXXXII. terminum, & exhaustis sensim sensimque viribus,  
 sequentis anni Mense Martio animam DEO reddidit, tricesimum  
 nonum nondum transgressus annum.

Vides ex his, Vir Magnifice, Patrem meum, dum in vivis esset,  
 si commemoratas excipias dissertationes Academicas, & quedam

Prog-

Programmata, nihil scriptorum in publicum emisisse; malle enim  
 senihil scribere, quām talia repetere, quae in vulgus jam nota sunt,  
 Parenti suo, ut, quae cum Praxi conjuncta sunt, tædia cum scriben-  
 di labore commutet, monenti saepe respondit. Nullus tamen du-  
 bito, quin, si vitam concessisset Altissimus, observations, quas  
 uberrima suppeditaverat Praxis, & experimenta, quibus nunquam  
 non invigilabat, chymica cum orbe Erudito communicaverit, at-  
 que quae in Arte Medica videbantur erronea correxerit, manca  
 suppleverit. Sed placuit Divino Numini in optimo ætatis flore  
 omnibus cum cripere terræ miseriis atque ærumnis, æternaque frui  
 felicitate jubere; sicque nobis nihil nisi sui recordationem &  
 futuri laboris rudimenta reliquit. Quam breve autem extiterit  
 temporis spatium, intra quod ipsi Medicinæ præesse fuerat per-  
 missum, egregiam tamen eum de sua peritia atque dexteritate nactum  
 esse existimationem, nemo inficiabitur. Vix enim scholas suas ap-  
 riri cœperat, cum undique concurrentes ab ejus ore dependere ge-  
 stiebant Auditores, vixque scriptum aliquod emiserat, cum sedulis  
 illud versare manibus delectarentur Eruditi. Testimonium hujus  
 desideras, *Vir Illustris, scias, Medicinam Hippocratis Chymicam,*  
 quam Anno MDCLX disputationis loco publicè exhibuit, anno se-  
 quente Lugduni Batavorum ex Officina Arnoldi Doude in forma  
 duodecima prodiisse, & quam pro loco in Facultate Medica obtinendo  
 habuit disputationem, post mortem ipsius Gallico Idiomate donata  
 Anno M.D CXC. Lugduni Gallorum & sequenti anno Amste-  
 lodami in forma duodecima lucem denuo vidisse publicam. Hoc  
 que Eruditorum desiderium, quo versus scripta à B. D. Patre edita  
 ferebantur, primam dedit ansam Bibliopolis, ut de discursibus ab Au-  
 ditoribus ejus in Collegiis calamo exceptis corradendis primum  
 seorsim, tum conjunctim sub operum Ettmüllerianorum ti-  
 tulo edendis animum induixerint. De quo conatu quid sen-  
 tiendum **G E O R G I U S F A B R I T I U S H I L D A-**  
**N U S** audiendus est, qui in *Observationum Chirurgicarum*

31) (12) 32)

Centur. V. observat. 2. ad Casparum Hoffmannum sequentem in modum loquitur: Scriptum mibi fuit non ita pridem Patavio, Vratislaviensem quendam Bucretium, Doctorem Medicum, D. Spizelii p. m. scripta Anatomica & Chirurgica in lucem missurum; sed utinam id ante obitum Spizelii factum fuisset; raro enim scripta posthumamentem Authoris recte asequuntur. Video id in Chirurgia Vesalii à Prospero Borgarutio edita, in qua nonnulla, quæ Vesalius propter immaturam mortem perficere non potuerat, ipse Borgarutius ex aliis Authoribus decerpserat, & Chirurgie Vesalii de verbo ad verbum inseruit, donec tandem perfectum compilaret opus. Quod si enim haec maneat fata opera postuma à defunctis Authoribus conscripta, quid non metuendum erit de illis, de quibus edendis Author ante obitum, ne per somnium quidem cogitaverat? Tantum enim abest, ut Conceptus suos ea intentione ac methodo conscriperit. Parenst, quæ in publicum prodire queant, ut ne dictaverit quidem, exceptis Casibus resolvendis, ac Thesibus privatim ventilandis unquam aliquid Auditoribus. Quemcunque igitur hi discursum extemporaneum ferè in chartam conicerunt, in talia opera coegerunt. Quis autem nescit, quantum differant discursus ejusmodi in Collegiis prolati à scriptis luci publicæ expoundis? quis nescit, quanta sæpe incuria Auditores dictata Praeceptoris calamo excipiant, & contrarium haud raro Authori affingant sensum? Primogenitus ergo inter haec opera foetus Lipsiam delatus erat Liber in Quarto, qui sequentem gerebat titulum:

„MICHAELIS ETI MULLERI Phil. ac Med. Doctoris & Professoris Lipsiensis Chimia Rationalis, ac Experimentalis Curiosa, secundum principia recentiorum adornata, variisque ac propriis experimentis tam Chemicis, quam Practicis, ut & medicamentis nobilioribus referta, comite semper ratione, nunquam adhuc publicam lucem visa, jam vero in ordinem redacta ac boni publici causa edita Cura, ac sumtibus Joh. Christophori Aufseldi Med. Doct. Lugduni Batavorum Anno MDCLXXXIV.

Negandum equidem non est, B. D. Patrem cum primam post acceptum Doctoratus gradum studiose juventuti limandæ atque expo-

( 13 )

expoliendæ manum admoveret, habuisse Collegium Chymicum, in quo Principia & operationes chymicas explicuit, atque Enchireses in Laboratorio Matthesii, qui in præparandis atque distribuendis medicamentis tum Lipsiæ desudabat, inculcavit, Auditoresque per discursum prolata calamo consignasse; an vero scripti hujus Beatus Pater Author dici valcat, determinant **SCHELHAMMERUS** in Additamentis ad Hermanni Conringii Introductionem Medicam cap XI. pag. 385. **ETTMULLERI** Chemia, inquiens, post ejus mortem nuper à quodam lucri captatore publicata est, nefario tamen aucto, cum non sit dubium, multa, si vixisset, celeberrimum Authorem fuisse emendaturum, expuncturum, immutaturum, quæ non sine ipsis ignominia nunc publicè leguntur; Fditor, qui mox commemoranda opera congesit in Præfatione: Scito tamen, Chymiam **ETTMULLERIANAM** publicæ luci nuperrimè editam fuisse, quæ quidem nomen tanti Viri gerat, vix tamen mereatur, ut pro vero Chymici hujus egregiæ habeatur labore, cum alterius forsitan exceptus, auditusque discursus olim à viro beato habitus estimandus veniat. Quibus ita se habentibus vi-  
dua & Hæredes sequentem Admonitionem publicare integrum duxerunt:

„Vidue ac Hæredum Ettmüllerianorum Admonitio de scriptis sub nomine B. D. **ETTMULLERI** hactenus divulgatis.

„Sicut illorum Favori multum nos debere profitemur, qui Beati Nostrj „Mariti ac Parentis, dum in vivis erat, moderamini, sua vel publicè vel „privatum submittebant studia, ac de fama egregia, quam per horum se- „licissimos non raro successus sibi compararat, cineribus etiam ipsis gratu- „lamur. Ita illos, quos posthumorum ejus Scriptorum avidos intelligimus, „quosque horum editionem non semel aut ipsis aut per alios à nobis sollicita- „se novimus, ne cæco ac precipiti nimis affectu in chartas illas, quas hac- „tenuis sub nomine Ettmülleriano quidam imprudentiores divulgaverunt, fe- „rantur, sicque non tantum sibi ac aliis imponant, sed estimationi quoque Vi- „ri orbi literario astutissimi, inviti quamvis derogent, monere duxi- „mus. Primum illorum factuum suppositiorum pronunciamus Chymiam „Rationalem ac Experimentalem Curiosam, cuius conspectum meritorident

„Eruditiores, rident ejus minus cautum ac sumptuosum Curatorem, qui  
 „distinguere nescit, inter discursus privatim ad c. optum quorundam di-  
 „scipulorum rudium, ac sub laboribus Chymicis prolatis, & inter Systema  
 „Chymicum ea intentione ac methodo conscriptum, ut in publicum prodi-  
 „re non erubescat. Quemadmodum enim huic ejusmodi competit facies,  
 „qua eruditis ac in Arte peritioribus placeat, sic talem vix exhibent crudeli-  
 „tissimi conceptus, quos tunc temporis, scilicet cum post assumptum Doctora-  
 „tus gradum ante annos sedecim, speciminibus Academicis dandis & ju-  
 „ventuti informande primam manum admoveret, (Chymiam vero experi-  
 „mentalem & curiosam componere sibi nondum, nec unquam arrogaverat  
 „Noster,) Auditoribus suis exponebat. Alterum, de quo monendus eris,  
 „L. B. Disputationes Medicæ octodecim sunt, variis argumenti, quarum  
 „aliquot illius euidem meditationes proprias ac genuinas, scilicet, de  
 „Morsu viperæ, chirurgiam infusoriam, Valetudinarium infantile, Virtu-  
 „tem opii diaphoreticam, Medicinam Hippocratis chymicam, de Preci-  
 „pitantium usu & abusu, ac Ideam prescribendarum Formularum (qua-  
 „rum hanc cum Valetudinario infantili chymiae rationalis Editor, quasi  
 „nondum lucem viderint, demum ex scriniis suis secretioribus promittit.)  
 „reliquas ascititias & aliorum, id est, quibus tanquam Praceptoribus  
 „respondendo, aut tanquam Discipulis praesidendo, in reliquis, præter re-  
 „censitas, operas suas commodaverat, labores pronuntiamus, prout nobis  
 „etiam tacentibus ipsa harum materiarum diversa indoles & facies Te-  
 „docere poterat. Quæ denique Praefamen Chymia nominata & promittit ope-  
 „ra, scilicet, Institutiones Medicas, Praxin Medicam, & Tractatum de  
 „selectione medicamentorum, similiare, quorum impressionem ac publica-  
 „tionem & preprimis quidem docente Catalogo Librorum Francofurtensi-  
 „um hisce nundinis edito, Praxin Medicam typis Michælis Guntheri,  
 „nobis contradicentibus ac Electorali Auctoritate prohibente, moliri in-  
 „tellegimus, ab horum lectione ut abstineas, candide rogamus, aut si fama  
 „forsitan Ettmülleriana Te ad illum stimulet, cogites non nisi Collegia pri-  
 „vata & discursus tantum non extemporaneos juventuti informanda di-  
 „catos, à Studiois vero quibusdam, interdum calamo minus cauto ex-  
 „ceptos & congregatos esse, quos etiam Beatus Vir non ad normam ac metho-  
 „dum scriptorum publicorum direxit, sed ad captum potius Auditorum

accord.

( 15 )

, accommodavit ac dicitavit. Satis igitur injurii in manus Ettmülle-  
rianos illi existunt, qui ejusmodi scripta vel lucri cupidine vel ex caco in  
Praceptorem olim amore magis quam prudenter typis manciparunt. Ne  
vero B. L. destituatur lectione eorum, qua B. Ettmullerus quondam  
concessit, scias. pleraque, que hactenus divulgata, divulgarique ab ali-  
is promissa sunt, prout ab ipso Authore non ita pridem ante obitum suum  
relecta atque emendata, à nobis Viri erudit ac in arte Medica maxime  
excellentis revisioni concedita, moxque publicanda esse, ut hac ratione  
& B. Viri fama, lectorisque eruditis Expectationi consulatur, nec dubi-  
tamus, quin hanc operam expectare magis ex re utique fuerit quam pati  
sibi imponi suppositiis libellis. Vale.

Jungebant tum nobis se Celeberrimi Lipsienses Auctorum Eru-  
ditorum Collectores (quibus suam operam per primum solummo-  
do annum commodare per fata B. Parenti licuit) atque sequens de  
eo, ipsiusque scriptis: Anno 1685. Mense Julio pag. 341. ferre judi-  
cium non dubitabant: *Eo avidius excepta à multis opera hac fuisse non*  
*dubitamus, quæ sub ETTMULLERI nostri nomine nuper divulgata*  
*sunt, quanto majorem is, dum viveret estimationem famamque sibi compa-*  
*ravit. Utique enim Vir fuit solidissime, non arte tantum Medica, quam*  
*theoria & opere profitebatur, sed scientiis omnibus, quæ illi adjumento*  
*sunt, aut ornamento, doctus, miraque semper ac felicissima dexteritate.* &  
*in erudienda studiosa Medicine Juventute, & in experimentis, quibus*  
*hac disciplina magno hoc tempore cum fructu excolitur, capiendis, & in*  
*exercenda medendi arte & grise ad salutem reducendis usus. Unde non*  
*Lipsia tantum nostra, cui studia sua operamq; consecraverat, sed orbi litera-*  
*to dolendum, vivis hunc virum in ipso etatis flore immaturo fato ereptum.*  
*Neque dubitandum est, prefectura ab illo scripta publica fuisse seculo, &*  
*splendore illo, quo se Medica hodie scientia effert, dignissima, si vitam illi*  
*Divinum Numen prorogasset. Sic enim secum Vir prudentissimus consti-*  
*tuerat, non nisi proiectiore atate ad libros componendos animum applicare,*  
*& comparare interim subsidia, quæ experientia diuturnior, Auctorum-*  
*que plurium lectio subministrant. Quo major eos, qui ETMUL-*  
*LER O nostro familiariter usi sunt, cepit admiratio, quando eodem fere*  
*tempore diversis locis edita conspercerunt memorata superius opera, ETMUL-*  
*LERI nomen praeferentia: ut vidua etiam ac Heredes*  
**ETT**



*Ettmülleriani, famae beati Viri consulturi, necessitatem sibi impositam censurint, publico programmate scripta illa supposititia esse, certe luci publicae nuncquam à beato Authore destinata fuisse, declarandi. Atque id quidem, nullo licet monente, deprehendent facile omnes, quibus per volutare libros hosce visum fuerit, contineri iis nonnisi discursus maximam partem extemporaneos, nec cauté semper ab auditoribus exceptos; sed hiulco verborum concursu & tautologiis fædos; quos qui tribuere ETMULLERO velit, tanquam opus ea methodo curaque, ut in publicum prodire possit, elaboratum, ne is in beati clarissimique viri manes foret injurius.*

Hisce tamen non obstantibus Anno sequente MDCLXXXV. novus prodibat abortus, Liber scilicet in quarto, sequentis tituli:

„*Medicus Theoria & Praxi generali instructus, hoc est, Fundamenta Medicina vera, olim à D. MICHAEL ETTMULLE, R O Medico & Practico Lips. celeberrimo, Prof. Publ. privatim tradita, Luci publicae nunc primum donata & Indice duplice ornata. Cum „Privilegio Elector. Saxon. Francofurti ac Lipsie sumptibus Michaelis „Guntheri Bibliopolae Dresdensis MDCLXXXV.*

In quo Libro ea continentur, quæ in Institutionibus Medicis privatim Authoribus fuerunt proposita. Quem sequebatur aliis eodem anno itidem in Quarto cum titulo :

„*MICHAELIS ETTMULLERI, Philosophia & Med. Doctoris & quondam in Academia Lipsensi Professoris Publici celeberrimi opera omnia Theoretica & Practica, in quibus universa Praxis „Medica, sive omnium totius corporis humani morborum dilucida de- „scriptio, eorumque causarum accurata explicatio, & curatio per selectis- „simis & optimis medicamentis secundum principia & experimenta chymica „ac anatomica Clarissimorum Virorum Helmontii, VVillisi, Sylvii, Tac- „kenii, aliorumque Neotericorum exhibetur. Accedit Chirurgia Me- „dica, pulcherrima methodo omnes affectus externos explicans, eorumque „causas, restitutionem & curam describens. Ut & Methodus Consulta- „toria, per variorum Casuum exempla docens morborum resolutionem & „curationem. Annexi sunt in fine de particularibus quibusdam mate- „riis Tractatus ejus singulares. Lugduni MDCLXXXV.*

Quæ Editio eadem esse videtur cum illa, quæ Londini Anno  
MDCLXXXIII.

MDCLXXXIII. in quarto impressa in Actis Philosophicis Anglicis perhibetur, à nobis tamennunquam visa. Sed nec Collegia Pharmacutica diutius latitare potuerunt, quin Anno sequenti pariter in quarto proreperfserint sub nomine :

„MICHAELIS ETI MULLERI Philosophiae & Med.  
„Doctoris, Academie quondam Lipsiensis Prof. Publ. atque S. R. I. Acad.  
„Nat. Curios. Collegae famigeratissimi Opera Pharmaceutico - Chymica.  
„Eius scilicet I. Schräderus dilucidatus, seu Commentarius in Johannis  
„Schräderi Pharmacopæiam Medico - Chymicam. II. Commentarius in  
„Danielis Ludovici Dissert. de Pharmacia moderno seculo applicanda.  
„III. Pyrotechnia Rationalis seu Collegium Chymicum Experimentale.  
„Quibus pro Appendice annexæ sunt Ejusdem Dissertationes selectæ  
„Academica multum hactenus expeditæ ; cum Prefationibus & Indici-  
„bus Rerum & Verborum copiosissimis. Lugduni MDCLXXXVI.  
De quibus tamen omnibus idem ferendum est judicium, non esse ope-  
ra exasciato judicio, & ea, qua decuisset industria elaborata, sed ex-  
temporaneos in collegiis privatis habitos discursus. Cum igitur D. +  
Johannes David Zunnerus Civis ac Bibliopola Francofurti ad Moen-  
num Primarius avidissimè Scripta Ettmulleriana ab Eruditis expeti-  
cerneret, apud Hæredes de MSto correctiore inquirere sustinuit, quo  
tamen voto neutiquam damnari potuit, siquidem testamento paterno  
erat cautum, ne Libri & MSta distraherentur, donec neutrum filio-  
rum ( frater enim meus natu minimus tum adhuc superstes erat ) Li-  
teris operam daturum esse constiterit. Ne autem Literatorum deside-  
riis penitus deesse videretur, aliud suo ære comparavit MStum, quod  
omnia atque singula, quæ hactenus seorsim & variis in locis prodie-  
rant, comprehendens Opera, & D. Georgii Franci à Franckenau cura  
à nœvis vindicatum, in folio imprimi curavit cum titulo :

„MICHAELIS ETI MULLERI Phil. & Med. D. hujusq. in  
„Illustrissima Universitate Lipsiensi Prof. Publ & Practici, dum viveret,  
„longè felicissimi, & celeberrimi opera omnia, xempe Institutiones Medicinae  
„cum Notis, Collegium Practicum generale & speciale, de morbis Virorum,  
„Mulierum, & Infantium, Collegium Chirurgicum, Note in Morelli Me-  
„thodium de formulis medicamentorum prescribendis, in Ludovici Dissert.

„Pharmaceuticas, & in Schräderi Pharmacopœiam ; Chymia Rationalis  
 „cum Collegio Casuali, & variis Curiosisque dissertationibus aliis. Opus  
 „posthumum, post varias Editiones mancas nunc inde suppletum,  
 „& Indicè copiosissimo instructum ; cum Praesatione D. Georgii Franci,  
 „in Electorali Heidelbergensi Universitate Medicinae Professoris Prima-  
 „rii ac Pro-Cancellarii aliquot S. R. I. Electorum & Principum Consi-  
 „liarii & Archiatri. Cum Gratia & Privilegio S. Cas. Maj. & Sere-  
 „nisissimi Elect. Saxon. Francofurti ad Mænum, sumptibus Johannis Da-  
 „vidis Zunneri Anno MDCLXXXIX.

Vix duo præterlapsi erant anni, cum scheda divulgaretur sequen-  
 tem gerens titulum :

„D. Johannis VVestphali Praefectorum ac Rerumpublicarum  
 „Delitienensis & Bitterfeldensis ordinarii Epistola Invitatoria, qua omnes  
 „Medica Arti verè addicti, ut Collegia Manuscripta, à B. Dn D. MI-  
 „CHAELE ET TTMULLERO, Prof. Publ. Lipsiensi, olim habita,  
 „se que possideant, in usum publicum communicare non dedignantur, offi-  
 „ciose rogantur.

Collega enim hic noster honoratissimus, quem B. Pater per duo  
 fere lustra omnibus suis Collegiis gratis interesse siverat, non potuit  
 non, iustissimo hac tenus zelo impulsus (haec enim ipsius sunt verba) do-  
 lorem quendam percipere, quando sub celeberrimi hujus Viri nomine usq;  
 hac in publicum edita scripta accuratiori oculo fuerit intuitus, in quibus  
 non solum multæ res inæpta & impertinentes, sed & tot menda, tot vitia,  
 tot falsa, ut nulla fere pagina aut linea à spurcicie hac liberam se gloriari pos-  
 sit ; conatum hinc laudat Dom. Zunneri, quo in ultima Editione scripta  
 accuratisima exponere orbi Literato allaboraverat ; quoniam verò nec  
 hanc operum Ettmullerian. Editionem completam esse cipersuaserat,  
 & denuo recudenda opera meditanti calcar addiderat, hanc in pu-  
 blicum emisit Epistolam rogans, quidquid operum Ettmullerianorum  
 quilibet possideant, sibi transmittant. Certiores igitur facti lire-  
 redes Ettmulleriani vasti hujus monstri, quod sub partu jam inge-  
 miscebat, atque ne ipsius membra supposititia cum Genitore suo  
 putatatio nullam habitura sint convenientiam, veriti in Novellis  
 æque ac Catalogo Librorum Lipsiensi hanc Editionem ex manu-  
 scriptis relictis nonfuisse conflatam, aliaque asservari, quæ nulli  
 hac tenus

haec tenus fuerint communicata, monuerunt. Nihilominus ne quis admonitione hac deterre se patiatur, in Epistola sua suasit, atque omnia se possidere, ne Tractatu quidem de Urina excepto, pronuntiavit modo commemoratus noster Dominus Collega; cum tamen Tractatus hic ultimam nondum expertus fuerit manum, à me admovendam. Prodiit tandem monstrorum hoc opus in duo Volumina congestum, & etiamsi parturire viderentur montes, ridiculum tamen natum fuisse murem, nemo non percipiebat. Titulus operum talis erat:

„MICHAELIS ET MULLERI Philos. & Med. D.  
„hujusque in alma Lipsiensi Prof. Publ. & Practici olim per omnem Europam celeberrimi opera Medica Theoretico-Practica, hoc est, Exercitationes & Collegia omnia, ab eodem tam publicè quam privatim & privatissimè quandam habita, in quibus universa doctrina & Praxis Medica, sc̄e omnium totius humani corporis morborum dilucida descriptio, eorumq; causarum accurata explicatio & curatio per selectissima & optima medicamenta, secundum principia & Experimenta Chymica ac Anatomica Helmontii, Willisi, Sylvii, Tackenii aliorumq; Neotericorum exhibetur; unà cum Chirurgia Medica, Methodo item Consultatoria, qua per variorum casuum exempla morborum resolutio & curatio docetur;  
„Adduntur & Tractatus singulares alii de particularibus quibusdam materiais. Opus posthumum & Philosophis & Medicis, omnibusque rerum naturalium Curiosis summe necessarium atque utile; olim quidem ab illustri Viro Domino Georgio Franco Lib. Bar. à Frankenau &c. recensitum, nunc verò secundum ultimas B. Authoris hypotheses harmonice connexum, ac prioribus Editionibus duplo plus auctius, accuratius, correctiusq; & ob novæ materiæ cumulum in duo Volumina digestum cum Indice locupletissimo, cura & opera Johannis Caspari Westphali, Medic. Doct. Academici Curiosi. Cum Privilegio Cœs. & Elect. Saxon. Francoforti ad Menum Impensis Johannis Davidis Zunneri A. O. R.  
MDCXCVI.

Textum si examinaveris atque cum prioribus Editionibus contuleris, parum offendes, quod hæc nondum exhibuerunt; Et quæ in prioribus paucis & claris verbis fuerant dicta, & exposita, in nova

hac longis amplificationibus obscurata invenies; immo cramben ter  
 quaterve coctam degustabis, & quæ medicamentorum præparatio-  
 nes in Collegio Chymico propositæ fuere, in Collegio Schröderia-  
 no, Ludoviciano & in Practico iisdem ferè verbis repetitas observa-  
 bis. Et videtur hæc Editio adornata, non ut tyro Medicus utilitatem  
 exin capiat, sed ut quæ Collegia habuerit B. Pater, innoteſcat, & ut  
 plagellarum copiâ major nummorum numerus Editoris accedat  
 marsupio. Cujus enim quæſo interest, Synopsin legere Institutio-  
 num, quæ tamen ipsæ apponuntur, res uberiorius explicantes? cuius in-  
 terest Theses cognoscere Pathologicas, quarum explicationem In-  
 stitutiones Pathologicæ exhibent? cuius interest, confusum de præ-  
 scribendis formulis discursum nosſe, qui in dissertatione peculiari ni-  
 titidè & concinnè traditur? cuius interest erroneous Auditorum Reso-  
 lutiones Casuum intelligere, quos Præceptor ipſe resolvit? Qua ta-  
 men re factum fuit, ut opus in tantam excreverit molem, sat magnâ  
 pecunia summâ parandam, & Lectoribus tedium, Editori vero ſuo  
 gloriâ pepererit nullam. Perquam elegans eſt, quod hac de Editio-  
 ne tulit judicium Editor, quisquis etiam fuerit, qui opera paterna, ut  
 mox commemoraturi ſumus, in Compendium rededit; Meminerit,  
 Lector, ait, in ETI MULLERI operum Editione novissima, multa in  
 Schröderum dilucidatum referti, imprimis ubi de Regno Minerali agi-  
 tur, quæ hactenus in Collegio Chymico expedita fuerunt; nos utiq; brevi-  
 tati incumbentes cramben recoccam religioſe vitasse. Et ſane, ſi, quod ſen-  
 tiam, liberè effari eſt, videtur Editio illa novissima molis ſuę ſpiffi-  
 dinem, licentia huic eandem cantilenam ſapius reponendi magna ex-  
 parte acceptam referre. Hnc multa etiam in Praxi Medica prolixè diſ-  
 ſeruntur de functionum animalium theoria, aliisque, in Institutionibus  
 fuſe ſatis explicatis. Et ſi quæ ſint præter dicta in novissima hac Editio-  
 ne exhibita, quæ in prioribus deſiderantur, an ipſius ſini ETI MULLE-  
 RI dubito. Multa ſunt, que contrarium ſuadent. Imprimis illud, quod  
 plurima ibidem occurrant, ab Authoris ſenu longè diſcrepanția, plurima  
 etiam adverſis frontibus pugnantia. Optimo profecto jure de hac West-  
 phalica Editione idem mihi, quod Domino D. Westphalo de antece-  
 dentibus, ut ſuperius dictum, pronuntiare licebit: Non poſſum non  
 justiſſi-

X 21 X

justissimo Zelo impulsus dolorem quendam percipere, quando sub B. Parentis nomine hac in publicum edita scripta accuratori oculo fuerim intuitus, in quibus non solum multæ res inepta & impertinentes, & tot menda, tot vitia, tot falsa, ut nulla fere pagina aut linea à spurcitie hac liberam se gloriari possit. Id quod ipse Doct. VVestphalus in Epistola Anno MDCXCIX. ad Te, Vit Illustris, cæterosque Academæ Naturæ Curiosorum Nobilissimos atque Excellentissimos Dominos Adjunctos & Collegas exarata & Ephemeridum Germanicarum Anno V. & VI. Dec III. inserta, fatetur, dum dieit : *Nihil magis in votis habeo, quam ut desiderio Vestro & labori meo Editio isthac ex ase responderet, nec tot crudis sensum omnem sapissimè depravantibus, aut plane invertentibus, & quod omnium maxime dolendum, sine numero repetitis, (siquidem oculo saltē volante opera percurrentis Erratorum plus 60. chartarum plagulas jamjam extraxi vitiis reserta esset atque repleta, ut interiisse opera Ettmüllerij potius quam adulterata ac vitiosa hac Editione tantum temporis insuffisere, tetrico mundo imposuisse malim.* Pollicetur porro in eadem Epistola Honoratissimus Noster Collega se novam, eamque ad dimidium auctiorem Editionem adornaturum esse. Proh Deum immortalem ! quanto molimine res gerit sine ullius suffragio ! pro quo labore annullam à gente Erudita reportatus sit gratiam, vehementer vereor. Quaenam ratione hoc opus sub manibus creverit, literæ ipsius testantur, ad superius commemoratum Dominum Zunnerum haud ita pridem datae, in quibus se multa ex aliis Authoribus Scriptoribusque Medicis congregata & excerpta additum fore edisserit; quo verò jure talia pro labore vel etiam pro Collegis B. Parentis vnditare queat, non video. Scribat Albucasis Commentarium in opera Ettmulleriana, evolvat locos suos communes & Veterum Recentiorumque observatis rem illustret, per me licet, & majorem forsitan apud Medicos inibit gratiam, quam si iisdem B. Ettmulleri nomen obscureret. Sed ultima nunc commemoranda venit Operum Editio (omittit enim illam, quæ titulum gerit) :

*MICHAELIS ETTMULLERI Phil. & Med. Doct. operum omnium Medico-Physicorum Editio Novissima, ceteris omnibus tum correctior, tum accuratior, tum felicior; opera & studio Petri Chauvin, Med. Doct. Collegio Lugdunensi aggregati. In fol. 2. Vol. Lugduni :*

22

Et in Ephemeridibus Eruditorum Gallicis Anno MDCXC. recensita  
est, utpote à nobis nunquam conspectam.) quæ in octavo Londini  
Anno MDCCI, & Amstelodami anno sequenti prodiit sub titulo:

*MICHAELIS ETTMULLERI in Academia Lipsiense  
quondam Professoris Celeberrimi Opera omnia in Compendium redacta,  
in quo continentur I. Institutionum Medicarum Synopsis ab ipso Authore  
conciuncta, II. Pyrotechnia Rationalis seu Collegii Chymici Epitome.  
III. Commentarius in Schraederi Pharmacopœiam contractus. IV. Uni-  
versa Praxis Medica in angustum coacta. Cui in calce adjicitur Chi-  
rurgia Medicina summatim perscritta.*

Postquam enim viderat, qui hujus curam gessit, opera in duo Vo-  
lumina congesta propter summam prolixitatem & ταυτολογias im-  
mensas nauseam citius, quam orexin Lectoribus movere, omnibus  
omissis ambagibus, neglectisque Authorum allegatorum locis in  
Compendium conatu forsitan non contemnendo omnia redegit, &  
quæ integrum occupaverant paginam, in Enunciationem quasi Logi-  
cam coëgit.

Habes hic, *Vir Magnifice*, quæ experta sunt hactenus opera Ett-  
mulleriana fata, ex quibus intelliges, quam multæ etiam illorum Edi-  
tiones hoc usque fuerint impressæ, nullas tamen extituisse, quæ Erudi-  
torum expectationi & desiderio satisfecerint. A estimata nihilominus  
fuerunt opera ubique, & ETTMULLERI verbis aliquid explicare  
& confirmare delectati sunt Medicorum plerique. Non repetam hic  
Elogia Virorum Clarissimorum, primæ Zunnerianæ Editioni Anno  
M.DC.LXXXVIII. præmissa, quibus B. Parentem, ipsiusque Labores  
excepint, hoc solummodo addam, quod Galli, Germanis alias pa-  
rum tribuentes laudis, OPERA ETTMULLERIANA non solum  
aliquoties in vernaculam traduxerint, verum etiam Academiæ Gal-  
licæ adscripti, cum Magnum illud Artium Scientiarumque Lexicon,  
*(Le Grand Dictionnaire des Arts & des Sciences par M. de l' Academie Françoise)*  
opus elegantissimum pariter atque utilissimum conficerent, non pa-  
rum subsidii ex operibus paternis se fecisse, ultro fatentur: *In Pra-  
fatione Parti II. terminos technicos exhibenti præmissa: On ne s'est pas  
contenté, d'en faire la description, on a cru devoir marquer, quel en est l'usage;  
à fin que l'utilité se trouve jointe au plaisir de la lecture, ce qui ne se trouve pas  
dans*

dans l'autre Dictionnaire. Le même motif a fait, qu'on s'est étendu sur la Medicina, & le savant ETTMULLER en a fourni de longues remarques : i.e. Non contenti eorum (Simplicium) descriptionem dedisse, vires & usum addere integrum duximus, ut non minori utilitate quam voluptate se commendares Letio, id quod in illo desideratur Lexico. Eidem causa adscribendum, quod prolixiores in rebus Medicis fuerimus, cui opera doctissimus ETTMULLERUS non parum subministravit. Trahuntur etiamnum corum amore omnes atque singuli; Novam Editionem urgent Medici, non insimi subsellii, efflagitant Bibliopolæ, expetunt tyrones. In cuius rei testimonium sequens erit Epistola instar omnium, ab Excellentissimo Doctore Hottoni Professore Publico Lugdunensi apud Belgas Celeberrimo ad me scripta :

P. P.

De Patriis Tui meritis Scriptis edendis olim & coram & per literas Tecum eg. Ut facias rursus Te hortor, bac ad Te scribendi occasione mihi nata. Id exigit à Te & paterna Glorie studiis, quo non potes non ardere, & utilitas publica. Nam & ipsemul. am T. bi conficies famam, horum operum Editione, quam si dinc differas, valde viceris ne alius atque alius Tibi, ut sit, subortis negotiis differre semper cogaris. Vale ac ama Tui studiosissimum

Lugd. Bat. 28. Febr. 1701.

P. Hotton.

Hancigitur Bono cum DEO adornare constitui, postquam anni sex, Domino Zunnero ad distrahenda ultimæ Editionis Exemplaria ex conventione concessi, fuerunt præterlapsi. Non tamen est, cur prolixiora à me expectes opera. In id enim incumbam maximè, ut nova Editio non minori utilitate quam brevitate se commendet, quæ hactenus edita sunt, non desiderentur, nova tamen addantur. Quanquam autem talia polliceri haud valeam, quæ à B. D. Patre ea methodo, eaque intentione fuerint conscripta, ut quondam Luci publicæ exponantur; ne tamen Eruditorum desiderio deesse viderer, Bibliothecæ & MStorum paternorum, ante obitum revisorum unicus hæres, quæcunque hactenus sub Ettmulleri nomine fuerunt publicata Collegia evolvi, & ex MStis correxi, nec alios allegavi Auttores, quam quos à B. Parente allegatos vidi; etiamsi observationibus pluibus Veterum & que ac Recentiorum, quales vel solæ Ephemerides Germanicæ ab Illustri Academia Leopoldina quot annis editæ, sat copiosas suppeditare potuerint, res illustrare atque probare facili negotio licuisset. Operam insimul dedi, ne quod rædium hacten-

nus



X 300 5622  
nus Lectori peperit, quod semel dictum est, aliquoties repeterem, quin potius singula debito suo commemorarem loco; hinc etiam si plura habita fuerint à B.D. Parente Collegia, ea tamen integra apponere dubitavi, sed quæ addenda ex his judicavi, reliquis interspersi. Ut igitur brevem eorum sistam conspectum, exhibebit nova Editio

- I. Effigie n B.D. Parentis.
- II. Collegium Phylicum Generale, continens ea, quæ tyroni Medicinæ sunt necessaria.
- III. Institutiones Medicas.
- IV. Dissertationem de Fermento Lienis.
- V. Tentamina Uromantica.
- VI. Collegium Chymicum.
- VII. Tentamina Chymica.
- VIII. Dissertationem de Fermentationis & Putredinis convenientia.
- IX. Collegium Pharmaceuticum in Johannisi Schröderi Pharmacopœiam Medico-Chymicam.
- X. Collegium Pharmaceuticum in Danielis Ludovici Pharmaciam moderno seculo applicandam.
- XI. Collegium Præticum.
- XII. Collegium Medico-Chirurgicum.
- XIII. Lectiones publicas de Chirurgia Transfusoria.
- XIV. Collegium Consultatorium.
- XV. Casus & observationes.
- XVI. Dissertationes Academicas à B. Parente elaboratas & Disputationum loco publice expositas.
- XVII. Bina Programmata,

Hæc sunt, quæ Tecum, *Vir Illustris*, jam communicare decreveram; intelligis ex his quanto ardeam fervore famam Parentis sarram testamque conservandi, quanto ferar desiderio Eruditorum precibus satisfaciendi.

De cetero id unicum in votis habeo, ut uberior mihi nunquam non affulgeat occasio, qua prouissimum mecum ad quævis subeunda officia animum erga Tē contestari valeam, eamque ut benevolè suppedites, obnix ero. Servet Te Deus Ter Optimus Maximus Orbis Literato, servet Te Arti salutati, servet Te Illustri Academiae Leopoldinæ, servet Te mihi salvum sospitemque per multos Nestoris annos, nobisque omnibus exoptatissimam largiatur pacem. Qua spe fretus Tuum Favorem, Tuamque Benevolentiam ulterius mihi expto.

*Illustres Tuis Nomina*

Lipsiæ Prid. Calend. Februarii, M DCC III.

Indefessus Cultor

Michael Ernestus Ettmüllerus,  
Phil. & Med. Doctor hujusque in Alia Lipsiaca  
Prof. Publ. Extraordinarius.

VD 18

ma

QK. 241.15

ILLUSTR

D N.  
SCH

MED. DOC

Majestatis Archia

Medico Splendidissim

Lateranensis & Conf

Academie Natur

Liberæ I

Patrono E<sup>o</sup> Fa  
susciendo, Cooptation  
laudata Academ



Pertextaque open

MICHAEL  
Philos. & Medic.

K. 240.



Æ  
O,

AREÆ

nperialis

reæ Palatii

Leopoldinæ

simo.

colendo,  
tatem modè  
rbolo



LERUS,  
li Prof.